



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 85. Virodunensis Episcopus a Legato minus benigne exceptus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul. XVI
A.C. 1551.

„Declarat præterea S. Synodus, in
„futura Sessione, quam ad vige-
„simum quintum diem Januarii subse-
„quentis anni millesimi quingentesimi
„quingentesimi secundi habendam esse
„jam decrevit, una cum Sacrificio Mis-
„sæ, agendum, & tractandum esse de
„Sacramento Ordinis, & prosequen-
„dam esse materiam reformationis.

Hæc sunt præcipua, quæ in hac
Sessione fuere agitata, quorum acta
Massarellus, qui Concilio a secretis
erat, conscripsit, tres vero Synodi
Præfides, Madrutius Cardinalis, sex
Archiepiscopi, triginta quatuor Anti-
stites, quatuor Abbates, seu Ordinum
Generales præter tres Cæsaris, & duos
Romanorum Regis Oratores chirogra-
pho suo firmarunt. Intererant quoque
duo Brandenburgici Electoris Legati,
nec tamen ex Gallis vel unicus adfuis-
se legitur, cum Henricus II. Franciæ
Rex ob Parmensem Ducatum tunc Pa-
pam bello lacefferet, quod tamen bre-
vi finiebatur.

*Memoir de
Vargas
lettre a
l'Eveque
d'Arras du
26. Nov. Et
memoire de
l'Eveque
d'Orense p.
245. Et 265.*

§. LXXXV.

*Virodunensis Episcopus a Legato
minus benigne exceptus.*

Ceterum Reformationis articuli non
omnibus æque probabantur; cum
enim

enim Crescentius Legatus in nupero Sæcul. XVI.
A.C. 1551.
 conventu ante Sessionem habito disciplinæ emendatæ articulos recitaret, atque inter ceteros caput illud, quo commendæ manifeste approbabantur, a reliquis acceptari vellet, incassum laborabat; non deerant enim Præsulum nonnulli, qui se huic articulo nunquam subscripturos palam profitebantur: hos inter Nicolaus Psalmæus Virodunensis Episcopus edicebat, quod hæc reformatio inutilis, Synodo indigna, ac præsentis temporis vicissitudini minus congrua foret, ac commendarum usus omnia Ecclesiastica bona absumeret: nec his contentus erat Psalmæus, insuper incautius ex ipsius ore excidebat, quod proposita reformatio non nisi frivole jactata audiret morum emendatio, quapropter Legatus in hujus Viri temeritatem insurgens eundem asperioribus, atque injuriosis, necnon verbis reverentiæ horum confessui debitæ contrariis alloquebatur. Hanc agendi rationem plures Episcopi, ac præcipue Doctores ægre ferebant, evolutis tamen aliquot diebus Virodunensis Episcopus, cum illum suffragandi ordo tangeret, hujus occasionis opportunitate usum culpam sibi a Legato in confesso impartitam, ut mox retulimus, diluere parabat: ast Legatus illum excipere de-

L dig-

Hist. Eccles. Tom. XI. I.

Sæcul. XVI. dignatus præcepit, ut nonnisi de rebus
A.C. 1551. ipsi propositis verba faceret. (*)

§. LXXXVI.

*Hispanorum postulata circa morum
 emendationem.*

Cum insuper Franciscus Toletanus Legatum impense rogaret, ne decreto quicquam in præjudicium jurium Regni Hispanici infereretur, Legatus huic Oratori respondit: „equidem Episcopis permittitur, ut suas sententias proferant de mediis, quæ ad tollenda obstacula Prælatorum residentiam præpedientia magis necessaria censentur: verum ea, quæ modum excedunt, haud petant, sed potius ea postulent, quæ concedere honestas suadet.” Hæ Episcoporum sententiæ tradebantur Francisco Toletano, qui eas ad unum articulum redigens Legato consignabat, quam-

(*) Mirum sane, quod Nicolaus Pissæus in sua collectione Actorum Concilii Tridentini de conficta hac injuria ipsi a Legato illata nullam omnino mentionem fecerit: præterea epistolæ unius privati ad alium scriptæ, cum plerumque privatis etiam odiis obnoxie sint, vix tantam merentur fidem, ut in illis contenta pro veritate minime dubia venditentur.